# JUDEX DOCTARUM SENTENTIARUM,

In Comitibus de AQUINO, Illustrissimus
*In Illustrissimis CARACCIOLIS, Æquissimus*
à
Castro JOANNIS, Castrensis,
in
*Summa, Capitanealis*
DIVINISSIMUS
THOMAS.
ANGELICUS
*ECCLESIÆ CARMELIQUE*
DOCTOR.
Ad
MICHAELIS BILANCEM
*Atq;*
AREOPAGI ARCENSIS
*CRACOVIENSIS ILLUSTRISSIMI,*
à Nominis sui Præconibus FF. CARMELITIS Discalceatis Philosophiæ Auditoribus,
PROMULGATUS.
Anno sedentis in Carne Humana Judicis DEI Hominis 1748. Die 7. Martii.

Cracoviæ Typis Collegii Maioris.

# ILLUSTRIBUS
## MAGNIFICIS ac GENEROSIS
## DOMINIS, DOMINIS,
Celeberrimæ Capitanealis Cracoviensis,
## CANCELLARIÆ,
*Ac*
## PALESTRÆ,
*&*
## Mæcenatibus Amplissimis.



*Riminali Nostra, ad Vos, devoluta causa, plecti capite meruimus.* Illustres, Magnifici DOMINI, DOMINI, MÆCENATES AMPLISSIMI. *Hoc est, eruditæ mentis cogitationes, siquæ esse qniverant; Vobis, loquentibus fastis communicari oportuit, Vestras autem plantas audire, ubi svada aures inveniat humilis. Fumus, sudantis accensæ fervidis*

*meditationibus frontis, quo laudum Angelici Doctoris denigrata folia, Vestræ Themidis foco erumpere debuit, quòd usq; ad Cœlum VOS extollamus. Graviter quidem in VESTRUM deliquimus Honorem; adeò, ut Ipsi etiam ferre scelus non possumus: cumq; proni videbamur peccare, naturæ leges fregimus; tunc partiales facti; quia recedendo hactenus VESTRIS ab elogijs crimini sese dedimus. Ecce* AREOPAGI *VESTRI Themidi, quasi nostrum ingratum defleret animum, cum lacrymis oculi effluxerunt, sicq;, cæcum Illius in Nos recognoscamus amorem. Experti Astræa Gratias, quibus concessis, justa fuit semper causa; & meritum ejus, testis innocentis Nostræ animæ. Non ideo hac VOS laude attollimus, quasi sceleribus favissetis, quia* TRIBUNAL *VESTRUM pravis imbutos moribus, qui maculis, Pardis simillimi, tanquam efferas suevit Belluas, tota Sylva plectere. Sed quòd ad Magnum Nomen est, atq; Optimum, Justiam colitis: neq; favor VOS flectere potest aliquis,* VIRI RECTISSIMI. *Vidimus, qui per nefas ducebant vitam; intellexerant citati, Munus VESTRUM, quod in* TRIBUNALI *geritis æstimatissimum, divite posse vincere pretio; aurum*

*secum*

ſecum tulerunt, ſed *VOS* non *Chryſoliti*: plus adamante valetis; in hoc non niſi pares, quia firmiſſime obſtatis prolegibus. Tanqvam Statuæ de marmore elaboratæ eſtis, ſudatis in negotijs juris; & manus *VESTRAS* non extenditis donis, quod acceptationem apud omnes habeatis. Habetis ubiq; plauſum: audivimus totius Poloniæ de *VOBIS* lingvas: Quam Sancta Themis **AREOPAGI** *VESTRI*! etſi ardentibus obryzo caput non ambiat radijs. Adhuc majus elogium: quia & aurum ante conſpectum *VESTRUM* pallere debet, ſi candorem animi virtutiſq; amiſerat. Quanquam fulgido obducat ſeſe metalli crimen; iſto etiam cum pondere, levitatem ſuam non effugiet, donec pœnis à *Judicio VESTRO* graviſſimis, ſatisfaciat. Fuerant adhuc plurimum confiſuri argento noxij, acſi illo puro, & Ipſi mundi conſpicerentur; ſed aliter evenit, dum illa pretioſa Fortunæ nive refrigerati, *VESTRAM* ad ſententiam tremuere. Fuerant cum gemmis, quas, lapides offenſionis cenſebatis; abjeciſtis à *VOBIS*, ne conſcientiam *VESTRAM* oneraretis. Non torquibus aureis, *VESTRUM* captivarunt, affectum Rebelles legum, quia gnari eratis, tunc *VOS* eſſe facinori alligatos, qui amatis æquita-

*tem, documentum est* ILLUSTRISSIMI *CAPITANEI* STARZYKON. *Jubetis jam sopita excitare strepitu Juris crimina? Qui independenter, invitoq́ DOMINO alienam rem proriperant, VESTRO decreto justo, â vita suspensi; levatiq́ in aera; quia nefas eorum statuam superaverat. Svasistis VOBIS nihil esse furtum, qvam omnis flagitij vestimentum, quo se contegunt scelera, ideoq́ tulistis sententiam quod pendatur; ita ventiletur aere, ne plures conscientiæ vermes generentur. Prudentiæ VESTRÆ id adscribitur, dum moribus naturam putridam judiciariæ stubæ edicto exposuistis Soli exsiccandam; quo facto, arescere Rei debuerant, ut jam effusi non fuissent. Complices sceleris, furtiq́, audita VESTRA severitate, exanimes plane, se Ipsos animarunt: Hi perierunt fune; etiam supra Nos æqua pendet sententia; Illi suspensi, jam tepidi; sed exemplum Nobis non frigidum; atrunco pendent instar foliorum! quia flos Nominis boni decidit, autumno Judiciali, quo Æquissimam Sol Themidis libram insedit. Innodatam mentem flagitijs, neq́ prece, neq́ precio solvere poterant ceteri; reliquenda vitia, ne admisso fune, de Nobis per-*

*plexè*

*plexè loquatur Fama: & obscuram reddat claritatem generis. Tanti intra viscera doloris, VOS, Motiva Sanctæ contritionis, dum in favillam, cineremq; abire Reos coegistis, ignea VESTRA lege. Terruistis fune dissolutos; redijt omnis compositio, quæ decet virtutem; prolongastis vitam multis, tractis per Executores Justiæ plurimis, intormentis; & Ixionum rota aspecta alij, statuerunt ultra suam nunquam agere sphæram. Permittetis? colligemus lachrymas, quibus lugebant pænam Invasores, sed illæ, grandinis instar, erectos VESTRA ad elogia calamos deprimeut: jacebuntq; hi admodum spicarum, & nullus erit fructus. Idem faceremus, quod insolens cinctus undequaq; Oceanus; effudit viscera, sinumq; ultra margines, ac si dolore summo intra crepuisset. Faceremus idem, quod Cælo Phæbus dum se infert: illo diluculo surgens suo de cubili, veluti aureum pexuisset crinem, sparsit Orbi, angulis sparsit, nihilq; æstimabatur ille, quam filum; neq; pili faciebant. Venti etiam quasi ad Bellum, omnem congregant atomum, nihilq;, præter montem conflant, qui Regnorum, Urbium obumbrat decora. Non laude indegitis ampla; immensis Virtutibus VE-*

 STRIS,

*STRIS jam Nomen VESTRUM, Gloria, ultra Orbem Sarmaticum extensa; apud Exteros Famæ tuba de VOBIS auditur, quod VOS* VIRI CLASSICI. *Pulchri facie, & si nunquam se lavistis Pactolo: crevistis æstimatione, quanquam Aureo Minervæ imbre nunquã estis conspersi. Albam panegyrum hactenus diem vixistis, modo attramento venit crepusculum, quo domum redire cogimur; idest VESTRARUM in Nos Gratiarum meminisse tempus, quanquam non emortua Obligatio erga VOS in Nobis, felicis tamen recordationis vocemur. Etsi privata Themis VESTRA palpebris, reliquit tamen Nobis, Castri videndas, quibus providit Nostræ indigentiæ. Gerte dixissemus, Divam, esse Themidem VESTRAM,* Providentiam, *nisi maluisset cæca fuisse, quam uno tantum Nos prospicere Oculo. Proinde summam* THOMÆ Divinissimi, *VESTRIS locamus inbonis; sive* (non VOBIS nauseam pariat) *quæ Calamus evomuit Elogia, dum infirmabatur in Laudibus Præceptoris; documenta VOBIS Amoris, multiplici ostendimus folio; quæ dum VOBIS offerrimus, per oblatam acceptabitis. Sed nolumus, quod impune Nostrum in VOS sit crimen; fer-*

re

te ſententiam; THOMAS DOCTOR ANGELICUS, JUDEX Doctarum Sententiarum *ſuo Calamo ſcribit Decretum; pœnam colli ſubeamus. Factum eſt, jam ligatas habemus manus ad Calamum; pedeſve, Torque aurea: quod non excurramus V E S T R A M in Laudem, dolemus! Campum Nobis paraſtis, Nos arenam literiam, ubi folio, quaſi mortali induſio procedimus ornati; avitam Ordinis Noſtri manibus tenemus C R U C E M; dumq; de genu VOS Numina veneramur, inflectimus, collumq; Themidis V E S T R I gladio ſubicimus; quo admoto, non Sangvinem fundimus, ſed TULLII purpuram. Judicali V E S T R A Campana (*quà ſignum accipimus exire de ſtuba,) *propulſet omnia infortunia.* ILLUSTRISSIMI CAPITANEI STARZYKON *e vita non diſcedatis:* JUDICIS VESTRI, *ILLUSTRES ſtemmatis manus, ad ſidera V O S extollant. Plura appendimus, V O B I S devoti, Aræ Themidis V E S T R Æ vota, quia Lampades Cœli, Noſtra gentilitia ſidera, erga V O S exarſerunt; & ut non extingvantur, V E S T R Æ Sapientiæ oleo nutriantur. Clarius loquemur, ſi eadem ſidera, Lingvæ erunt Polorum, V E S T R A acta*

a5 glo-

*gloriosa perorabunt; Dijs persvadent, quòd VESTROS Calamos, Digitus Paternæ dexteræ tenebit; nihilq; exarabit, præter Characterem Honoris VESTRI. legetis VOS, in Libro VITÆ; Nosq; sese subscribimus, quia VESTRÆ gratiæ Nobis indelebiles. Faces CARMELI Nostri sidereæ, quæ per atticas noctes VOS perducunt, luceant VOBIS, ut in Cursu VESTRO pendem non offendatis.*

Vestri Areopagi

**ILLUSTRISSIMI**

*Obligatum Collegium SS. Michaelis & Ioseph CC. Discalceatorum.*



# ORATIO.



Ondum Actor compareo ab exedris, & jam de THOMÆ laudibus actum est; dum ad Iudicium vocatur elogium, & quolibet Orationis caput suæ subjacet sententiæ. AA. Usq; adeò ferax rerum natura parens, ubi missô sub jugum pigrô otiò, acutô calami vomere vertit, revertitq; chartarum docta jugera, rigat sæpiâ, & surgit ampla sententiarum seges. Nusquàm inhospitales Cereri, quasi desertum Arabiæ littus, voluminum margines, uberes ingeniorum proventus metunt. Quanta, per fidem! etiam in pulvere literario sensuum fertilitas! Fervet in dies Literarum studium? nec exuritur doctarum germen mentium, sed majora calet. Adeò, ut Aulam dixerim Literarum Palestram; mille portas aperit, unde tot Illustres cogitationes exeant. Dixerim, orbitam sæculorum relapsam, Minervæ

divisisse verticem; tot Joves peperit eruditos. Unum Roma Catilinam non miserit; centeno non demetet ictu, quot sensus, tot Capita. Quasi verò, hastata dici Pallas desineret, ni Sententiarum numeraret Copias, tot signîs distinctas, quot sensibûs. Quasi verò eruditus orbis cyfra foret, unitatem sententiæ non admittit: mirum; quomodò suô ambitu eruditorum definiat animas, quæ communem vitam non noverunt. At ista est: Diversîs sese pingere sententiîs, quasi coloribûs, debebant voluminum chartæ, quibûs jam ossea mors ludebat in tumulo; nunc ad monumentum Literarum transtulit novitatis cupido. Aliter, aliterq; loqui debebant Literæ, quæ ex alio venissent Orbe. Nimirum; discrepans ingenium, Tubam eruditæ Famæ (quasi jam integrum replesset orbem,) convertit ad tumulum, unde putrida canitie inhumata Librorum Capita sese erigere; emortui in corpore articuli surgere; de quibus, cum vivaciùs non posset, judicium daret dissona sententia. Sic corrosa papyrus, quasi in illius fila Bombicis ducerentur viscera, tot novos ingeniorum effudit partus, animavit sententias. Amplam sententiarum multitudinem, quam vix ELIANUS Currus caperet; ad MICHAELIS non appendo Libram. Discrepantium animorum litigia, Parentis gladio non rescindo. Hoc mihi Judicium est: Angelici Doctoris apellare sententiam. Dabit THOMAS Illustre judicium, quî in sui pectoris Arcem Cælestem detraxit astræam. Alti Judicii THOMAS, qui ultra Solem caput extulit. Digna Cæli oculô videnda THOMÆ, quem ut nihil lateret, tertium sibi oculum adjecit Cælum. Ita est: omnem ignorantiæ pulverem excussit Doctor, quem non radius, sed

In defini animæ ponitur vita cômunis.

Resurrectio Corporũ signum Judicii.

Sol

Sol integer raperet. Dignus, qui Cælum erudiret Angelicus THOMAS, cujus in pectore catenatus Phæbus Lunares agit. Sic THOMAS subjectum Nobilissimum, pro Pectorali Solem gestare torque aureô. Nil magnum de THOMA asseruit, quisquis Alcidam dixit; hunc THOMAS excessit humeris, cum pectore Solem, integrum, tulit dimidius; quodq; Alcidæ præferendus elogio, medium dedit Oratori. Gaude Literarie orbis! Mediatorem habes inter Cælum & orbem AQUINATEM! Quid? medius astris THOMAS? divinum quoddam est; à posteriori visendum se debuit orbi porrigere. Etiã nostro sæculo beatus THOMAS; mortalitatis debitum solvit per medium. Luctam fortasse cum AQUINATE Phæbus inijt, pectus arripuit, & quia violentiam intulit, captivationem subierat in catena. Nec injustè: Solem, credo Literarii pulveris furem, advertit Doctor, suspendendum à collo judicavit. Judicem ergo Doctarum sententiarum declamabo THOMAM. Audies Doctor Divinissime debiti affectûs causam, Vos Auditores ubi Vestris auribus Judex insonuerit, benevola attentione non recedite.

Ad judicium, Sanctos, quia Ecclesiæ Patronos, invoco, ut secundum allegata Judex concludatur AQUINAS Divinissimus. Vehit sese, horum in Rota Patrum quasi jurati sua in sententia THOMÆ laudatio, nec levi commendatur foliô, cum in Quarto Doctorum legitur. Transcripserunt à pennis THOMÆ laudem Doctores Ecclesiæ, quasi AQUINATIS Character gloriæ nisi à conscriptis Patribus Sanctis notari meruerit. Exiguum fuerat, suis sese commendare AQUINATEM Literis; laudari in discipulis; Ergo Principes Oratorum

THOMÆ fuerunt Oratores, in folium Doctoralis Purpura, dignitarii fasces, in calamum, in quodlibet Orationis Caput, Orbis Capita, Ecclesiæ cardines, in periodos ivere, THOMAS meta fuit. Augustum hoc! Unum, Alexander & Magnus, Ephestionem habuit ad Elogia, THOMAS Doctores quatuor: ut jam non Alexandro, sed THOMÆ, Unus, non sufficeret ad Panegyres. Ita THOMAM in plures Encomiastas divisum congruit, vel ex nomine. Et verò: meruit AQUINAS, quem Ecclesiæ Capita prosequerentur elogiô, quorum Ille mentem nunquam non secutus. Legit hucusq; Orbis Hieronymi characteres, gloriæ Thomisticæ notas: & quasi gravis judicis Nostri causa foret, cernitur à lapide. Credite calamo; tundit lapide pectus Doctor Sanctissimus? & confitetur clariùs in suo fundamento THOMÆ Sententiam processisse. Percusso pectore, scribit in marmore læsus, monumenta literarum THOMÆ, ut ad perpetuam rei, perdurent memoriam. Aureum THOMÆ opus, hôc probari Lydiô; hòc computari calculô summa Angelica: nec melius alludi poterat ad insignia AQUINATIS. Ast riget ad Saxum dictio! Ergone etiam meritorum excessus THOMÆ damnatur ad caucasum? Iterum hic semen Literarum THOMÆ in rupem cecidit, sed unde suarum præberet laudum fundamentum. Ne durus hic videatur sermo, verba Doctoris non profero, dixisse sufficiat, semper aperto pectore erga THOMAM fuisse Heronymum. Non sic pro Senatu peroravit Cato, pro Troia Apollo, quam pro AQUINATE Heronymus, qui ut dixisset cultiùs, omnem ornatum in THOMAM exuit. Detexit pectus, ne laudationem THOMÆ ulla fucus tegere

Thomas ex Hæb: Divisus.

vide-

videretur. Nimirum; aliorum laudes, plerumq; cantavit assentatio; Angelici laudatio, quodlibet Orationis Caput, tam verîs encomiorum adumbrat radiîs, quàm Sanctus THOMAS. Stratâ Heronymi lapide encomiorum viâ, facilè alios Oratorios offendes pedes, qui tamen non siccô calle THOMÆ transeant elogium. Ivit supra AQUINATICUM mare Hypponensis Præsul, & Cælestis Intelligentiæ Angelum THOMAM allocutus, sed elogiô. Non humili stylô hic AQUINATIS attollebatur scientia, quem Antistes, non obscurô, quem Aurelius composuerat. Conscribendis his, Mydæ sese offerrent mappæ, laudibus, quæ aurei nonnisi pretia styli vendicarent. Nisi dignius foret, Aureæ inscribi Bullæ, quod Aurelius Pontifex de AQUINATE scripsit, egitq; Canit supra AQUINATICUM Oceanum, dulciùs quâ Syren Isocratis THOMÆ laudes Augustinus; interea capit Sapientum somnia AQUINATIS Discipulus, an in atticis noctibus, quia à Thomistico Sole incaluit, eruditam edormit crapulam. En autem, quasi mortis fuisset somnus, lapides, ceu Sepulchrales præsentat Hypponensis Antistes, & lethi imaginem his adornare videretur lapillîs. At sic ad somnum composito, Unionem Doctorum THOMAM, Præsul in gemmis explicat; indigitat, magis se ad AQUINATIS Scientiæ monile aureum, quâ pretiosos ad lapides, aures arrigere. Non hic etiam Sopitam Judicis Nostri causam cognoscite, cùm in somnis etiam Discipuli sese exponit Judicio. Felicia Angelici Discipulorum somnia! suo medis in noctibus gaudere Sole, in alto sopore, abyssum sapere, & clausis etiam palpebris suo de Doctore concludere. Conclusit somnians; præeunte quietem Cruce, geminîs extinctîs Solibûs, cadentibus

S. Augustinus in Sõnisap: paruit cuidam Discipulo, & ostendit lapidem pretiosũ esse scientiam THOMÆ.

 cum

cum fronte Dominici ſtellis, tunc Judicem Sententiarum apparuiſſe THOMAM. His AQUINATEM in noctibus, etiam Gregorii conſpexit Ales, quaſi Palladis fuiſſet noctua, niſi quod Solem viderit Thomiſticum. Alaudam potius dixerim; ſub ipſum eluctatus Solem, à laudibus eſt Angelico. Habet hac à columba, Doctoralem in lauream THOMAS oleam, quod ſuis eruditis in Fluminibus tot Hæreticorum claſſes fecerunt naufragium. Parum fuerat AQUINATI, erudito laudari à ſuggeſtu, proclamari ab exedris, niſi etiam à volucris hujus roſtro decantaretur AQUINAS. Quis hic THOMAM dixerit laudum famelicum? cui PAPA GREGORIUS ivit in elogium. Nec puerile hoc, aut encomiorum parvitas; etiam Doctorem Noſtrum Gregorianus laudum decuit pean. Hinc diſcite; quanta de AQUINATE Elogiorum celebritas, cum Doctor etiam THOMAS, turmatim, & quaſi integro ſeſe decantantibûs choro laudibûs, á Gregoriano cantu non abſolvitur. Nec alia, quam Greгoriana columba, Thomiſticæ gloriæ Oceanum, elogiorum pennâ tranſvolaſſet. Optimam proinde, quia ſine felle AQUINATICAM cenſete ſententiam, proh dolor! quod multi ab ea avolaverint. Vertimus jam plenam THOMÆ laudibus Columnam GREGORII; Fudit laudum mella Pontifex, advolent Ambroſii apes, etiam harum examen provocat Judex Noſter. Hæ apes apex ſunt gloriæ, ne inſipidus dicatur FRANGIPANIS Illuſtriſſimus, pluſquàm Platonis melle laudationem condiunt. Mellifluum Doctorem THOMAM ſi negabitis? Ambroſium ejus ab encomio excluſiſtis. Sic nobiliſſima THOMÆ ſententia, ab apibus Ambroſii Ceras, Nobilitatis habet inſignia. Infirma-

AQUINATES antea dicti Frangipanes.

firmari nusquàm, salvari semper quidni queat? quam Ambrosius melle perunxerat. Advolate argumentosæ apes, sic perfusam THOMÆ gustare sententiam, quid dulcius? quid facilius? cuncta in schola THOMÆ cum melle veniunt. Advoco, qui cum pluribus errare voluerat, jejunum nuper THOMÆ in laudibus Oratorem, explico foliorum Mappam, mella Ambrosii appono palatui, quodsi ut assolet, apum advertat aculeum? nisi acutius THOMAM laudari debere concluserit, excludit Ambrosium. Unxit hic melle THOMÆ volumina, nondum tamen emoritur dictio, quia non hæc laudum extrema unctio.

Campaniam Judicis Nostri pulso Patriam, ut laudes advocem eo proprias, quo non extra Patriam quæsitas. Ipsa Domus Orator THOMÆ, inquilinæ laudes & Paterni penates PALESTRA gloriæ. Ipsa laudum annales non ex arida materia Rocca sicca conscribit AQUINATI, & in Campaniæ licet sita confiniis, primis tamen adornat Titulis Angelicum. Sat laudatorias THOMÆ literas, sigillari Regum annulo consignat Sicilia. Arragoniæ Principes & Eloquentiæ pro THOMA. Quàm gloriosum hoc! quamq; Imperatorium quod THOMÆ est! Eodem fonte quo Reges, Doctorum emersit Unio, ne á longe peteret Purpuram Doctor, & ne puderet, indè terris, inde orbi erudito, inde Publicæ felicitati advenisse, unde Reges, Principesq; exeunt. Si pro Oceano, Solem AQUINATICis nasci liceret Fluminibûs, non erubesceret in ortu, vultum lotissimum, candidissimæ lucis plenum, & absq; pudoris velo, Cælo inferret ac mundo. Tantus Fons esse debuit, unde THOMAS abluendus enatasset ad Cunas. Ast quid cunas memi-

minimus? Orbem prius quàm illas replevit THOMAS, à Bono, antequàm esset nuntiatus. Augustum hoc! & non communem nascendi sortem! avidimus Auroram Solis nuntiam, sed cum balneatibûs jam Oceani emersisset undis, imo cum jam loqueretur, diem dicens universo. Ast THOMAS, antequàm natus, notus, antequàm puer vitæ ascenderet Curriculum, jam Orbi provectus, visus, antequàm appareret. Nondum vocatur, jam THOMAS, vel in abysso nihili. Credite! hac nisi sorte Phænicem nasci audivimus, antequàm nascere-tur jam Phænix, vitam vitâ præcurrit & vocabulô. Plange ereptam sortem Orbis! jam astra nominarunt THOMAM? jam THOMÆ Nomen, non Tuum, Vox ad placitum. Sic Regia de stirpe THOMAS, & Virtutum futurus Imperator, non absq; Cursore Nominis Orbi invehitur. Cælô nomen meruerat, ne à Polis distaret, quem Neapolis procreaverat. Hinc Cælestis Homo THOMAS, nisi Dominicos victurus dies, habitu Dominici ante partum apparuit, ortum Nobilem ad ceras Gusmani habiturus. Integer Dominicus, ac planè Angelicus THOMAS, saltim habitu inveniretur ut Homo, decebat. Cesset commune proloquium: neminem, etiam quorum Bibliotheca Caput, cum Libro vitæ Literatum intrasse mundum, ac cum oris veniat, quasi exteris, patentes sui monstrare literas, an sapientem nasci licuit; sed ad Orientalem plagam expositum cum clamoribus, & prima luce non sine lacrymis spectare Solem; quasi coram Inspectore sui mundo fleret, quod ignorans nasceretur. Ast THOMAS, antequam Orbi assertus, jam Doctor, vestitus apparuerat, quasi iam protunc Orbi explicarethabitum, nondũ natus Philosophus.

*Nomen definitur Vox ad placitũ,*

Magni-

Magnifica certè, ac planè Dominica in albis Apparitio! ac tunc maximè THOMÆ, cum hoc habitu monstraretur.

Apparuerant signa hæc, Iudicis Nostri præcessura adventum; Foro tandem invehitur Iudex, fastis, quàm fasciis dignior. Publico terrestre Castrum ingressurus apparatu, tergemino Phàëtontis prævenitur curru, nè quid ad Nominis deesset majestatem. Nimirùm, natalem THOMÆ lucem, terni accenderunt Soles, quasi non uni Soli publico nasceretur AQUINAS. Crediderim, ingentem THOMÆ ortum, uno satis spectari non potuisse oculô, ternum procrearunt astra. Sic Numinibus THOMAS, quasi Cæli Civis nasceretur, spectabilis. Aliorum Ortum, non secùs, ac nascentis diei cunas, præter Noctuam quis aspexerit, nescio? THOMAS, quasi Promethæus nasceretur divinior, ternos in sui aspectum rapuit Soles, ut jam tunc esset Comes, de AQUINO Illustrissimus. Sic Princepes videri exambiunt, quia vel in Ortu Celsissimi, & non unius Objectum palpebræ Lux Illustrissima, & Purpurarum nitor. Oriebantur terna Illa astrorum lumina, & unumquodq; videndi THOMÆ exarsit desideriô. Unus alium festinus Sol in Orbem præcurrere, alius acuere Radios, certare, antevolare videbatur, ut prior videret Angelicum. Ast quid istud Solium Ternarium? mortis imaginem, somnum, divinum capere pusionem dixerim, nisi non Pictaviensem Doctorem nasci crederem, sed Angelicum. Verius loquar, in plausu THOMÆ Genetliaco, ternum ejaculantur astra globum igneum. Tantis in THOMÆ exordio, Luminibus, quasi Oratoriis usa sydera; Sola Lucina inhumanior, ligatô stylò, ne illi effuge-

In Nativitate S. THOMÆ 3. soles apparuerãt

Sol globus igneus.

C rec

ret, salutaverat Angelicum, quasi non aliter colligati sanguinis Pusionem demonstraret, nisi vinciret puerum; nec Vitam daret, nisi inter Vittarum crepundia. Totus secum Colligebatur vinculis, Pusio lectissimus, quem sibi aliter non obligasset Lucina, qui pro perpetua astris obligatione, summam erat accepturus Angelicam. Vinctas manus demiserat, ne cum triumphis teneret sæculi, qui Cælo manum dederat. Rumpe facias Lucina THOMÆ; involutum Doctorem dicet Orbis solutior? Solvo ait, si Resolutum Doctorem vultis? Solvo, sed magnus in Orbem THOMÆ? non est Casus. Peregrinus in Orbem THOMAS? passum habeat. Strictam vivendi rationem aggreditur AQUINAS, dissolvi non patitur. Militiæ vitæ hominum inscribit Nomen? ferat Baltheum. Adhæc, si succinctum Doctorem vultis? præcingatur necesse est. Interea, ad primum vitæ Thomisticæ mane, pulsant Paternos Lares amicorum Corda, primum Nato Pusioni dictura AVE; ast hanc inter Salutationem Angelicam THOMAS flexibilis redditur ad lacrymas, ut ad se deflecteret Marianum Nomen. Diffluit integer in lacrymarum diluvium divinus Pusio, ut arcam fæderis, intra scrinia pectoris possit claudere. Plorat neo exortum sidus, ut Hypostaticæ Unionis Concham, votorum assumat ad Coronam. Viderat nimirum, Mariano Nomine conscriptam schedulam, & hac in visione raptus amore Deiparæ, elevationem Solis AQUINATICI in Virgine esse voluit. Inter amoris incendia Nutricis lac respuit, nisi Literas Mariani Nominis, manu propria transmittat amico pectori. Abstinet Divinus Infans; tamq; Sanctum sibi fuerat Nomen Deiparæ, ut vel in Cunarum ex-

cu-

cubiis vigilias ageret, cum jejunio. Stetit tandem in lacrymarum aquario ut Sol electa; mittit in ora, quasi in oras divinam paginam, adeo literarum avidus, ut consumeret. Quid agis Divine Infans? matrem voras? Neronianum hoc! at consummati id amoris testimonium. Si Cælum Solis AQUINAS? Assumptionem Virginis celebraverat. Decebat sub vitæ auroram Rosâ vesci mysticâ, unde Serenitatem demonstraret Generis Purpuratus Infans. Jam Satur Divinâ matre Pusio, divino charactere plenus, ut Literatus existet, an conscriptus Pater, cum Puer esset.

Creverat, iam maiorq; erat, dum in Patris curia, miserorum causam susceperat Iudex THOMAS; creverat, sed cum depressæ paupertati inferret plantam, nusquàm se meliùs discurrere ratus, quàm ubi succurrisset inopiæ. Quanti Iuvenis excursus THOMÆ? ipsi (si vel ungvem ab ea posset recedere) præcurreret pietati. Pulsabant manùs pauperum; THOMAS, tanquam fulmina tonarent, ianuas aperuit clementiæ, veluti concha viscera; lachrymasq; pro rore suscepit, quòd candorem egenis, gemmei coloris pareret. Tenebrosus tunc populus, qui splendide, nunquàm vixerat, auri THOMÆ fulgore, diem vivere cæpit Fortunæ; atq; illam, illam, egestatis rapinam, quæ per laceram sese miserrimæ plebis Vestem prodidit, AQUINAS resarcivit, quia de indumentorum foraminibus, veluti exputeo, illuc illapsam, torque immisso aureo vindicavit; ac si de fundo quoddam, inopiam, dimisit Judex Eruditus. Fidem Superum! quam extensa fuerat per populum calamitas, dum usq; ornatus illorum rumpebatur, sed AQUINAS redintegravit; & documento est, totaliter adhæsisse

THOMAM DijsCharitibus. Sæculi crudelis natura; Hominum, tanquàm arcis cujusdam munitæ, indumenta, quasi mænia, modo bellicis arietibus, (atq; ita tempus, minime mansvetum!) discerpit; penuriaq; instar amentis, vili dilaniat turbæ vestes, quibus, tantûm vix stamen vitæ reliquit. Vidit AQUINAS talia; præsentabantur coram, ferreo pauperum vestibus, illata sæculo vulnera, nihil restabat ebullire nisi sangvinem, tantum venis carebant. Quid Divinus Judex THOMAS? ecce molles conjunxit lanæ dilatatas cicatrices, cum egenorum alijs contulit Vniones; dum pretij cadaVera, exsangve pallidum argentum alijs, de ærrario quasi tumulo, manu, veluti ligone eXhumavit, tunc ignobiles ad vitam animæ revertebantur, & redditum habuerunt divitem, sufficientemq;. Fuerant, quos inopia ita tenuavit, ut umbra tantum hominis dici poterant, videriq & hoc angulis projecta; sed brevi hæc evanuit, dum obscuram turbam, sancto viscerum igne admoto, clarissimos transformavit in Viros. Fuerant, qui minus fertili in gleba, subsistere calamitate gravati jam nequiverant, vel maximè claudi, quia curvatum levarunt pedem, ultra terras. Dixisses? suis non stare illos pedibus, qui applicata sibi lignea planta, passus metiebantur; etiam credas eosdem, jam uno pede (contracto altero) esse apud inferos, nisi AQUINAS fusis ante Parentes precibus liberaverit; jam ruerent, nisi sustentationem THOMAS miseris, provideret congruam Ablativus tunc casus Fortunæ erat, quando circumflexo claudi utebantur pede; illoq; de genu venerabatur THOMAM, quod naturali inclinatione dropensus egestati fuerat. Tristi Claudianorum Elegiæ, ligatæ egestati, pedem, cum fragmentis panis

panis, Juvenis integerrimus inferre consveverat, quasi mensæ didicisset in mappa, quâ sibi iter pareret ad inopiam. Adhuc cæcos ducerem paginæ (qui ita miseriam suam odio sunt prosecuti, ut aspicere non poterant) faterentur, parem non, vidisse liberalitatem THOMÆ; & in auditam surdi narrassent. Liberalissimam ejus Vocem, quasi Tubam, cum à mensa resurgeret, emoritura paupertas audierat, & alij caput erigere, Corpus assumere alij, alti manu beneficâ AQUINATIS. Colligebat Puer lectissimus Patris de mensa Ciborum superflua, ut paupertas affluerer; & quælibet buccella, Bulla fuerat Cenæ Domini, quia magnatis; an ad tantam gratiarum Indulgentiam SANCTISSIMI AQUINATIS. Panis reliquias, (ut reverenter haberet paupertatem:) extensis pauperum involvebat linteis; peris, quasi Thecis includebat Pater pauperum BEATISSIMUS. Voluit tamen Divinissimus Juvenis suam hanc Religionem, ne videretur, sub clausura, ac sub velo secreti esse; an istam etiam in pauperes Fortunã, carere oculis Spectatorum. Voluit, quidquid tribueret dextera, lateret sinistram, quia levam sortem nusquàm habuit inopia, dexterrimè agente THOMA. Panis itaq; reliquias occultandas miserat in vestimenti oram, ut alienus à virtute, involutabat palliô, ut Peregrinus pietati videretur. At frustra in umbram proijcitur Illustre facinus, nusquam citra radios processit etiam depicta Sanctitas. Prodit in publicum Princeps Virtus; & spectata probitas non effugit oculos. Fuerat, ut offenderet Divinum Iuvenem LANDULPHUS Genitor, confiteri imperat, quo isti paternâ Domô excessus? quidve manibus clauderet, ut aperiat, jubet. Rosas, respondit pudicissimus Juvenis, probavit eventus.

Ornarunt Aſtra THOMÆ eloquentiam, manibus dederunt Roſas, ut quodlibet folium, ſuam haberet Purpuram, Imperatori Virtutum THOMÆ tribuendam. Et decebat Mæcenati Pauperum, centifolia dicari pro Panegyri. Pietatis Aram, hoc ornari flore non incongruum. Cernite in dextra THOMÆ, manualia pulcherrima Virtutis Artificis, & Roſinum adorate Angelicum, quem nec Semiramidis Horti, niſi admiratione ſuſpenſi, penſiles viderent unquam.

In Caſtrum JOANNIS mecum Vos transfero cum adhuc JUDICI Noſtro, proponere Elogia, in voto eſt. Dictantibûs Aſtrîs, Dominicano inſcribendus Albo, Domeſticum excuſſerat pulverem Angelicus, & lacrymas THEODORÆ elicuit, quod Pupillam amitteret. Quas non in voces proripuerat, ut revocaret Filium mæſta Parens! Quantis non exarſit Odiis in Guſmanam Facem Leena immanior! in DOMINICI Frontem martem induere, proprium animare ſanguinem, ut adamantinam THOMÆ frangeret conſtantiam, votorumq; traxiſſet ad Coronam. Animaverat Prometheos Fratres, qui Solem raperent Angelicum jamq; ſeſe Gemini Cælo illaturi erant DOMINICI, ſic exorti: Qua Fronte? ſydus Noſtrum Cælô Patriò rapuit DOMINICUS. An non Nobilis AQUINATUM Sanguis, ut Guſmani recurrat ad Ceras? An non Illuſtris Proſapia Comitum, ut ignes quærat DOMINICOS? Etiamne Catellus hic vorabit FRANCIPANES? Cæca Fortuna ē, quam in umbra Religioſa attentat THOMAS. Nullus in Nobis Boni Nominis Ardor, ſi in uſtam Face DOMINICI ignonimiam non ſentimus. Aut non Fumoſæ majorū Immagines ſunt, ſi tetro hoc Colore denigrari per-

mit-

mittimus. Non patimur! non ferimus! Caracei-olæ non sumus, si pænam non lues THOMA. Totam pulsabimus Campaniam, ut fine potiamur optato, expulsumq; THOMAM Cælo DOMINICI vinculis tinnientem audiamus. Illud tandem cognatæ egerunt Furiæ, quod venti graves, fugacibus velis in peregrinam Classem egerunt THOMAM, Parisiorum usq; Lutetiam, non hærente vestigio compulerunt. Fugit THOMAS, insequitur Fraternus Furor, currus instruit, ut frementibus Rotis, inquisitionem faciat Angelici. Elevamini, elevamini AQUINATICA Flumina, immane votum instat, & Xerxis ambitu insolentius, dum in vincula Hellespontum conatur adigere. Fugiat inhiantem Tantalum Pomum istud, omni auro magis aureum, pulcherrimæ datum Sanctitati. Tacite astra, ut hi etiam Soles licet quadrigis instructi, non consequantur tamen Auroram DOMINICI. At procul auxilia! velociores fuerant equestres Phæbi Diviniore Phosporo, præcucurrit Sanctitati immanitas, tentus THOMAS, fit impetus in Albanum Diviniorem Furoris Saxei, ligatur AQUINAS, quia sic nonnisi Colligatus imo proprius Sangvis spectari potuit. O dignum meliore Catenâ Torquatum! heu non his donandum Annulis Unionem! post peractos cursivo Doctoris tractatus miserrimos, concluditur turri præda Nobilis, adhibentur Custodes, quasi jam ad marginem extremæ infelicitasis devenisset AQUINAS. Peraguntur Vigiliæ, nondum Sancta THOMÆ agnoscunt proposita. Concluditur AQUINAS, nec erat qui defenderet. Ergo jam Actum est in Castro JOANNIS de THOMA? ut Actum esset, quid non egit Fraternus furor! Quæ in suam traxisset sententiam, proscriptam sub-

mittit Venerem; at in effrontem martem induit THOMAS, rapuit in Leenam ignes, adussit ignominiæ notam, victamq; insolentiam efformatâ carbonibûs notavit Cruce. Ita est: carbonibûs notari debuit, quia rarum erat, quod fecit THOMAS. Fumabat adhuc, qui orcum extinxerat Titio, & Pleades fecit Sorores THOMÆ. Fleverant, ut liquesceret in vota Frater; at has inter lacrymarum aquas, ceram Virginem DOMINICANÆ admovit Faci, Divinisq; reddidit Altaribus THOMAS. Victorem tandem, ne jam Triumphis effugeret, Baltheo præcingunt Astra, & hæc inter ligamina libertati donant Angelicum. Nimirum, somnum, mortis imaginem edormiens, ab Angelicis Spiritibus vittâ præcingitur, ut ita per sui compendia, per collectam in tenuem cumulum membrorum sarcinam, sine onere profectionem apparasset, ac triumphalem accinctus ad fugam erumperet. Patebat per fenestram exitus, ustivumq; videbatur vitrum, in quo nisi æstus, nisi ardor fuerat emittendi AQUINATIS. Sudabat integrum, ut liquido constaret, quantum THOMÆ allaborasset egressibus. Ultro sese ac Capitolij janua, fenestra apparuerat, ne ignobilis diceretur fuga, cùm ita apertè excessisset THOMAS. Traxit tandem Crystallus Solem AQUINATICUM, totumq; se fenestræ, affuderat, non secus ac Phæbus ab antipodis. Sic Orbis eruditi Caput, fenestra castri palpebra effuderat, ne quid cæcæ Fortunæ tribueret, qui totum Cæli respectibus mereretur. Ne vero hic etiam non Judicialiter processisset Judex THOMAS, è castro, per extractum ab Angelis erupit, evasit. I modo triumphali passu THOMA Divinissime, Te Orbis eruditi animam Cælestes Spiri-

tus

tus quasi Uni9 Hierarchiæ Angelicum in DOMINICANum Cælum efferunt. Clarior post carceris nubila affulge Phæbus, diesq́, vivas Serenissimos.

Reducem à Castro Judicem libertate Oratoria sequi non assequor. Redditæ Cælo suo Orbis eruditi Animæ, membra Orationis adjcere, extra statum est. Neq́; etenim mihi ac Icaro penna, Facis licet Vestræ concedatis coram, ut Vestrum in Cælum evolem, ad DOMINICI stellam Clarissimi Prædicatores, Religiosissimi Patres. Cessit Vobis Angelici corpus, membraticas ergo THOMÆ periodos componite. Reposuit vobis suis in tractatibus summam, solvite elogia. Quanquàm relucent satis ad avitam mentisq́, Vestræ facem Angelici laudes. Scholasticos THOMÆ cineres, vestros licet transtulistis in vertices, non jejunos tamen ex Vobis habet Oratores THOMAS. Vivit in vobis AQUINAS, cum apud vos scribat in corporeo. Credidit vobis suæ summæ articulos, & Fideles estis, tanto temporis curriculo pro fide THOMÆ torqueri ingenium duxistis gloriosum. Consona semper Judici sententiarum DOMINICANA Palestra, ubi THOMÆ Calamum admisit Scribam, tot Regentes Doctissimos, tot Patronos, quot Sanctiores non minus quàm prudentes Discipulos. Laudis hujusce à materia, Scotum Doctorum subtilissimnm non excludit dictio; Respondent Iudicis sententiarum Libræ Scoti Literæ, quasi ad eandem FRANCISCI Crucem suam Scotus ac THOMAS tulissent sententiam. Magna semper inter THOMAM Tomosq́; subtilis vicinia. Tenuit avitis manibus cum Angelico subtilis Doctor, & palmam præripuit, ubicunq́; dextras consereret erudito campo. Truncatas in stemmate FRANCISCI si cerno manus? argumento sunt, sub præcisione manuum

criminalem esse pænam contra sententiarum Judicem insurgere. In Foro sententiarum Judicis vocem habeat JOANNES BACCONIUS, ut pote resolutus Doctor; Nihil etenim dissonum à Judice Nostro loquitur JOANNES Præco; quasi omni anxietatis glacie, solis AQUINATICI solutâ radio, Resolutus diceretur. Nusquám contra THOMAM peccaverat Bacconius, qui plenus dicendi gratiâ JOANNES GRATIANUS. Omnem nimirum, hunc in Doctorem effuderat Minerva imbrem aureum, ut Resolutum efficeret, quasi Lutetiâ Parisiorum Doctorem oriundum. De Libro Judicum Ægidianam Columnam non excludimus, suum patiatur elogium, laudum incisa referat, Doctissimîs excepta virîs. Habet illa semper alligata sibi encomia, quasi Rhodia Piramis foret, ubi omnis verborum lusus confluit; aut Triumphalis colossus ubi Oratorum meta Herculea. Amplector columnam hanc Orator, ut emendatiori stylo excurram in elogia; signumq; sit affectus Oratori j amplexus strictissimus. Celsitudinem ægidianæ columnæ ex umbra Augustinensis æremi deducite. Quæ vero hic, quàm ampla densaq; laurearum Sylva, non habet Orator iter, quo in doctarum mentium oleas non incurrat. Quodlibet vestigium suam habet lauream, & omnis via palmis absconditur.

Parabamus adhuc Judicis Nostri in laudibus effugium, at vix Oratorium pedem movimus ad marginem, custodes scripti, quasi dimidium facti haberemus, captivum tenuere elogium. Captivamus jam intra periodorum clausulam, AQUINATIS torque ingenia divisoq; ore, truncatam calami lingvam damus in supplicium. Missîs de capite oratoriis sensibûs, præmissô foliorum pallore, inter affe-

affectus Rhetoricos, agonizat Philozophia Nostra, & quadragesimali Funere, emortui Numinis urnam instruimus, animam ad MICHAELIS bilancem posituri. Agonizat sub AQUINATIS Sententia Philosophia? ergo Salerni pulsamus campanulam, quæ THOMÆ Discipulis ultimum vitæ finem intonat; unde sibi applaudat Philosophia Thomistica, tanto omnium amori osse, ut æris etiam Cor rapiat; clarumq; sit vivam hanc mortem esse, quæ tantos pulsus habeat. Quanquam; non emoritur hic THOMÆ obligatio, nec æviternè claudimus ora ad Panegyres, cum Judicis Sententiarum laudatio ad Annum rejecta tantummodo. In tumbam Nuper IGNATII Cælestis descendit astræa, ut Sacro cineri justa persolveret; Philosophiæ Nostræ in agone, Stellæ, Cæli ÆLIANI lingvæ, Encomiorum THOMÆ interpretes, Nostri Funebrem agent Oratorem. Interea, si Judicis Nostri in Maiestatem & Oratoria precæpta peccavi Orator? THOMÆ in Corpore Vestrum Auditores surgo ad Judicium. DIXI.



